

64.56410A

CHIMIE

de la Faculté

de Médecine

1

BX1935

.S3

1716

v.1

e.1

JURISPRUDENTIA
CANONICO-
CIVILIS,
S E U
JUS CANONICUM
UNIVERSUM,

J U X T A
V. LIBROS DECRETALIU M,

NOVA ET FACILI METHODO EXPLANATUM,
S. Congregationum decretis, S. Rotæ Romanæ decisionibus,
Summorumque Pontificum constitutionibus roboratum,

NEC NON
AMPLISSIMA TOTIUS JURIS CIVILIS PERITIA,
PRO THEORIA ET PRAXI LOCUPLETATUM,

IN GRATIAM EORUM,
Qui in scholis & tribunalibus, tum Ecclesiasticis tum Sæcula-
ribus, versantur, aut studiô Juris utriusque delectantur,
JURIS PUBLICI FACTUM,

E T
IN TRES TOMOS DISTINCTUM;

*Unâ cum quadruplici Indice, quorum primus ab initio cujus-
libet tomi seriem & repertorium Titulorum Juris Canonici; secundus in fine
periocben rerum & verborum; tertius & quartus ordinem & sedem omnium
titulorum Institutionum Imperialium & Digestorum exhibet.*

A U T H O R E

P. FRANCISCO SCHMIER,

Ord. S. Benedicti, ex Libero-Imperiali-Exempto Monasterio
Ottoburano, Juris Utriusque Doctore, Almæ & Archi-Episcopalis Universi-
tatis Salisburgensis Rectore Magnifico, & Facultatis Juridicæ, nec non SS. Canonum
Professore Primario, Celsissimorum, ac Reverendissimorum S. R. I. Principum, Archi-Episcopi
Salisburgensis, Episcopi Frisingensis, & Abbatis Campidonensis Consiliario Ecclesiastico,
ad S. Joannem in Veldkirch Priore, Notario publico Apostolico, in Archivio
Romanæ Curie immatriculato.

TOMUS PRIMUS.

Complectens Librum Primum Decretalium.

Cum speciali Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis, &c. &c.

SALISBURGI,

Impensis & Literis JOANNIS JOSEPHI MAYR, Aulico-Academici Typographi, & Bibliopolæ.

M. DCC. XVI

JURISPRUDENTIA
CANONICO
CIVILIS
IUS CANONICUM
UNIVERSUM.

V. LIBROS DECRETALUM
NOVA ET FACILI METHODO EXPLANATUM
Congregationum decretis, & Ritus Romanis decisionibus
Summorumque Pontificum constitutionibus repositum.

AMPLISSIMA TOTIUS JURIS CIVILIS PERITA
PRO THEORIA ET PRAXI LOCUTATUM
IN GRATIAE LEGUM
Qui in scholis & tribunibus, tum Ecclesiasticis tum Saecularibus,
ritibus, versantur, aut studii juris universae delectantur,
JURIS PUBLICI FACTUM.

IN TRES TOMOS DISTINCTUM
Una cum quadruplici indice, quorum primus ab initio capituli
liber totius operis & repositorem, secundus juris Canonici, tertius in hoc
partibus totius & veterum; quartus & quintus canonis & juris canonici
mutuam relationem inter se & differentiam exhibent.

AUTHOR
P. FRANCISCO SCHMIDT
Ord. S. Benedicti, ex Libero-Imperiali-Exempto Monasterio
Ondurano, Jurisconsultus Doctore, Alim & Archidiaconi
Litis Salsburgensis Rectoris, Magistri, & Facultatis Juridicae
Professore privato, Cancellarius, & Reverendissimi S. R. I. Prae-
sidentis Episcopalis Curiae, & Archiepiscopalis Curiae
ad S. Joannem in Vindobona Prae-
sidentis Curiae Cantuariensis.



TOMUS PRIMUS
Complectens Librum I. Decretalium
Causarum Gratiani & Privilegiae sacae Curiae & Regulae Canonicae
Imprimi & Licentia Joannis Joannis MAYER, Aulico-Academici Typographi, & Bibliopoli
M. DCC. LXXI.





Johann Heinrich Störcklin Sculp. Aug. V.

EMINENTISSIMO,
REVERENDISSIMO,

AC

CELSISSIMO DOMINO,
DOMINO

WOLFGANGO
HANNIBALI,

Ex S. R. I.

COMITIBUS

DE

SCHRATTENBACH,

S. R. E. Tit. S. Marcelli

CARDINALI

PRESBYTERO,

EPISCOPO OLOMUCENSI,

DUCI, S. R. I. PRINCIPI,

Sacrae Caesareae Regiaeque Catho-

licae Majestatis

CONSILIARIO INTIMO

ET MINISTRO,

REGIAE CAPELLAE BOHEMIAE

COMITI &c. &c.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIME, CELSIS-
SIME, ac REVERENDISSIME

S. R. E.

CARDINALIS,
DUX, PRINCEPS, ET DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.



On mea temeritas, sed Eminentissimæ
Celsitudinis *Tuæ* Clementia est, quòd
ultra Montes ex montibus; è clivis ad
septenos Quiritùm colles; ad Urbem
ex Orbe Germano se recipiat *Jurispru-*
dentia, non jam mea, sed duplici præ-
cipuè titulo *Tua*. Ab eo siquidem tem-
pore, quò Capitulo Metropolitico, in veritate Illustrissimo,
velut Decanus Salisburgi præeras, me, Sacros Canones in
Universitate profitentem, *Tuis* ex toto gratiis devinxisti.
Cumque non tantùm excelsâ Olomucensium insulâ, sed
etiam purpureò S. R. E. Galerò conspicuus, in itinere Ro-
mano Juvaviense solum repeteres, & aures tam faventes,
& mentem tam clementem indulxisti, ut Jurisprudentiam,
luci publicæ tunc destinatam, in tesseram acclinis meæ de-
votionis *Tuo* consecrandam Nomini & Numini, suscipe-
res, & propriam *Tibi* faceres. Et hic primus est titulus,
quò mea *Jurisprudentia* evaluit *Tua*.

Alte-

Alterum exhibet ipsum *Jurisprudentiæ* nomen & of-
ficium, quò *Canonico-Civilis* appellatur. Enimverò, dum
studet, Canones cum Legibus committere, sed absque
pugna; sacra profanis miscere, sed absque confusione; sua
Pontifici jura asserere, sed absque Cæsaris offensa; adum-
brat in ænigmate prærogativam in *Te* maximam, Tantæ-
que Dignitatis & Eminentiæ parentem. Quantumvis
enim, PRINCEPS Clementissime, exemplò rariùs au-
ditò, universa naturæ & gratiæ decora in *Te* confluisse,
nemo non obstupescat, dum, ut appositè Claudianus de
Stilicone lib. 1. cecinit,

Quæ sparguntur in omnes,
In te mista fluunt; & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis,
Fortunæ majoris honos, erectus, & acer &c.

Attamen, ubi literis humanioribûs, tum Græcii, tum Salis-
burgi, insigniter excultus, sublimiorem ac subtiliorem Phi-
losophiæ, non minùs quàm Theologiæ, scientiam Romæ
comparaveras, Doctorali quoque lauræa redimitus; illicò
animum ad salutarem Utriusque Juris peritiam adjecisti,
totus in id incumbens, ut *jus suum cuique* tribuere, salu-
tem Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ, curare,
dare, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ DEI sunt, DEO
reddere, apprimè disceres & doceres.

Vix inde Juvavium redux, & variis seu muneribus
seu dicasteriis admotus, jam in Archi-Episcopali Consisto-
rio, velut *Præses* & *Judex*, Spirituales & Ecclesiasticas
audire causas; jam in arcano Celsissimi Principis Senatu,
quasi *Dictator* & *Oraculum*, quæstiones & negotia statûs,
ut vocant, sapientissimo cum voto disceptare; jam Capi-
tuli Metropolitici consultationibus, & deliberationibus, tan-
quàm *Decanus* & *Director*, suavissima cum moderatione in-
teresse; jam in Aula Cæsaris pro Archi-Dioecesi & Provincia
disertissimum *Oratorem* agere videbaris. Mirabantur om-
nes, deprædicabant universi, tam insuetam in Viro, Nata-
libus & Virtute ubique Gentium celebratissimo, comita-
tem; tam comem facundiam; tam facundam potentiam;
tam potentem rerum quarumlibet expeditionem; tam

expeditum consilium; tam consultam ad feliciter quæque, pro DEO, Principe, & populo peragenda, constantiam. Nempe, uti laudatus Poëta de *Consulatu Mallii Theodori* scripsit:

*Jam tunc canities animi, jam dulce loquendi
Pondus, & attonitus sermo, qui duceret aures.*

Destinabaris hinc, PRINCEPS Celsissime, ad celsiora. Olomucium *Tibi* præsentabat pedum, ut Episcopo; thiam quoque & ensen, ut Duci & Principi, offerebat. Nec erat invitus Imperator, ut in Imperio Principem, in hæreditaria provincia Ducem, in Episcopatu Antistitem repræsentares. Venerat ille ex Hispania, Sacro Imperii Diademate Francofurti condecorandus. Et, mira res! ubi Cæsaream Regiamque Catholicam Majestatem, accessu ad Clementissimas Aures concelsò, Oeniponti gratulabundus & cernuus veneraris,

*Non ulterius te præbuit urbibus Aula,
Maluit esse suum.*

Oracula Regis

*Eloquiò crevere tuò, nec dignius unquam
Majestas meminit se se Romana locutam.*

Noscebat Cæsar & Rex Catholicus Salomonem ex facundia & judicio; Volebat esse Purpuratum & Palatinum, suisque curis & consiliis intentum; & effectu quàm optato! Roma concedit in Vota Cæsaris; favet iste, fovet illa, Episcopum Olomucensem renuntians Cardinalem. Sic unò quasi tempore Oenipontum *venisti*; Cæsarem *vidisti*; Summorum in Mundo Caputum animos *vicisti*, factus Ecclesiæ & Imperii Cardo; Sanctissimi CLEMENTIS XI. & Augustissimi CAROLI VI. Consiliarius Intimus, ac Minister.

Jam Eminentissima Celsitudo *Tua* in axe & arce præcipuarum in terris Dignitatum est collocata. Extendit manum geminam, in orbe gentilitio explicatam; unam ad Ecclesiæ Romanæ subsidium; alteram ad Imperii Romano-Germanici salutem. *Utraque facit unum*; Regnum cum Sacerdotio; Claves cum Sceptro; Cathedram cum Solio; Gladium cum Gladio amicissimò foedere conciliat.

Aspice Roma Virum;

Non illum præmia tantum,

Quàm

*Quàm labor ipse juvat. Strepitus fastidit inanes,
Inque animis hominum pompâ meliore triumphas.*

Claud. de Silicion. lib. 3.

Atque hæc, Eminentissime PRINCEPS, tanta sunt, quæis majora vel ad *Tuam* gloriam, ubique dilatandam; vel ad propositi mei veritatem, abundè demonstrandam, in medium afferri non possunt. Adscribo proinde *Tibi* votum & elogium, quod Eminentissimo Antecessori *Tuo*, Francisco à Dietrichstein, Episcopo Olomucensi, & S. R. E. Cardinali, munus Legati Apostolici ad Ferdinandum II. obituro, sanctæ memoriæ Urbanus VIII. adscripsit: *Pontificis atque Imperatoris beneficentiam, Italiæ atque Germaniæ amorem promeritus, dignus planè es, cujus virtutes cæli dignas cupiamus quàm diutissimè terris commodari.* Nec aliud superaddo, nisi preces supplices, ut *Jurisprudentiam Canonico-Civilem*, velut *Tuam Tibique* sacram, unacum Authore, Celsissimis gratis, & Eminentissima protectione nunquam non servare & fortunare pergas.

Eminentissimæ Celsitudinis

Tuæ

Salisburgi die 31. Julii 1716.

obsequentissimus & devotissimus

P. FRANCISCUS SCHMIER,

Rector.

X 3

PRI

PRIVILEGIUM
SACRÆ CÆSARÆ REGIÆQUE
CATHOLICÆ MAJESTATIS.



CAROLUS Sextus Divinâ favente Clementiâ Electus Ro-
manorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hispa-
niarum, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavo-
nia &c. Rex, Archi. Dux Austria, Dux Burgundia, Sty-
ria, Carinthia, Carniola, & Wirtenberga, Comes Tyrolis &c.

Agnosimus & notum facimus tenore præsentium universo; Postquam nobis noiter sa-
crisque Imperii fidelis dilectus JOHANNES JOSEPHUS MAYR, Salisburgensis, Aulico-
Academicus Typographus & Bibliopola humillimè exposuit, se Jurisprudentiam Cano-
nico-Civilem, seu Jus Canonicum Universum à Patre FRANCISCO SCHMIER, Ord. S.
Benedicti, J. U. Doctore, Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis Rectore Magnifi-
co, & Facultatis Juridicæ, nec non SS. Canonum Professore Primario, juxta quinque Li-
bros Decretalium novâ & facili methodo explauatum, ac amplissimâ totius Juris Civilis
peritiâ locupletatum, & in tres Tomos distinctum in folio prælo commissurum esse, ve-
ri autem, nè emulorum editionem hanc quæstus causâ imitantium invidiâ impendii
sui fructu destituatur, ideoque Nos suppliciter exoravit, ut sibi contra quasuncunq; fraudes
Octennali Privilegio Cæsareo prospicere Clementissimè dignaremur; Nos submissis pa-
riter, ac æquis ejus precibus benignè annuentes omnibus & singulis Typographis, Biblio-
polis, Bibliopogis, aliisque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, ne
quis prædictum Librum simili aut alio typo vel formâ, sub quocunq; additionis aliõvo
prætextu intra octennii spatium, à die editionis computandum, in Sacro Romano Imperio
recudere, vel aliis recudendum dare, alibive impressum apportare, vendere, aut di-
strahere citra impetrantis ejusve hæredum expressam licentiam præsumat; si quis verò
interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare aut transgredi ausus fuerit, eum non modò
ejusmodi Exemplaribus perperam quippè recusus & adductis à supramemorato MAYR aut
ejus hæredibus ubicunq; sive propriâ Authoritate, sive Magistratûs auxilio vindicandis
defacto privandum, sed & poenâ insuper decem marcarum auri puri fiseo Nostrò Cæ-
sareo, & parti læsæ ex æquo pendendâ decernimus multandum; dummodo tamen hu-
jus Privilegii tenor pro publicâ noticia in fronte Librorum impressus exhibeatur, & quin-
que Exemplaria ad Arcanam Nostram Cancellariam Imperialem Aulicam sumptibus im-
petrantis transmittantur. Mandamus proinde universis & singulis Nostris, & Sacri
Romani Imperii subditis & fidelibus dilectis, cujuscunq; statûs, gradûs, ordinis, aut
dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quàm Secularibus, præsertim verò in Magistratu
constitutis, ac aliis Jus & Justiciam administrantibus, ne quemquam Privilegium hoc
Nostrum temerè & impunè transgredi patiantur, quin potiùs transgressores præscriptâ
poenâ plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & Ipsi eandem multam
evitare voluerint; Harum testimonio Literarum manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli
Nostrî Cæsaris impressione munitarum. Datum Viennæ vigesimâ quintâ Junii, Anno
Millesimo Septingentesimo Decimo Sexto, Regnorum Nostrorum Romani Quinto, Hi-
spanicorum Decimo tertio, Hungarici & Bohemici verò Sexto.

CAROLUS.

(L.S.)

FRIDERICUS CAROLUS Comes

de Schönborn.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium.

Petrus Josephus Dolberg m. pr.

LICEN-



LICENTIA
REVERENDISSIMI
DD. PRÆSIDIS
UNIVERSITATIS.



NOS PLACIDUS D.G. Abbas Monaste-
rii Ettalensis, & Universitatis Salis-
burgensis p. t. Præses &c. petitam
juxta statuta nostra Academica à plu-
rimùm Reverendo, Clarissimo & Magnifico D.
P. Francisco Schmier, Ord. S. Bened. in Mona-
sterio Ottoburano Professo, prænominatæ Uni-
versitatis Rectore, & SS. Canonum ibidem Pro-
fessore Ordinario Licentiam ac Facultatem hiseo
concedimus, ut opus suum, scilicet Jurispru-
dentiam Canonico-Civilem, dummodo à Facul-
tate Theologica & Juridica pro more antea ap-
probatum fuerit, prælo committere, ac divul-
gare possit. Actum in Monasterio Ettalensi die
25. Decembris Anno 1714.

(L.S.)

PLACIDUS Abbas.

A P.

APPROBATIO

Sac. Facult. Theologicæ Salisburgensis.

Legimus præsens Opus, omniâque in eo invenimus Fidei orthodoxæ principiis, & morum regulis aded consentanea, ut rectè vivendi scita, Christianâque Ethicâ insigniter etiam illustrent: tantum abest, ut ab eisdem exorbitent. Et quamvis non instituerimus, verbis ampullatis panegyricum dicere (cùm secunda fama de exquisitissima Clarissimi & Magnifici Authoris Jurium scientia undequaque didita omnem prædicationem nostram pridem antevolaverit) illud tamen verè & citra palpum judicamus, totam hanc Lucubrationem Reipublicæ litterariæ esse maxime decoram; nostræ Universitati honorificentissimam; Lectoribus universis utilissimam.

Ita censent, simulque Magnifico ac Clarissimo Auctori devotissime gratulantur

P. ALANUS PFEIFFER, Benedictinus Admontensis, SS. Theol. Doctor, Theol. Scholasticæ Professor Ordinarius, Celsiss. ac Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episc. Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, & p. t. Saceræ Facultatis Theologicæ Decanus.

P. LUDOVICUS BABENSTUBER, Benedictinus Ettalensis, SS. Theol. Doctor, Saceræ Scripturæ Professor Ordinarius, Celsissimor. ac Reverendissimor. S. R. I. Principum, Archi-Episc. Salisburg. & Episc. Frisingensis Consil. Ecclesiasticus, Universitatis Pro-Concellarius, Vice-Rector.

P. COELESTINUS MAYR, Ordinis S. Benedicti, ex Libero & Imperiali Monasterio SS. Udalrici &

Astræ Augustæ Vindelicorum, SS. Theologiæ Doctor, Theol. Scholasticæ Professor Ordinarius, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus.

P. AMBROSIVS ZIEGLER, Benedictinus Cremifanensis, SS. Theologiæ Doctor, Theolog. Moral. Professor Ordinarius.

P. GODEFRIDUS KHRÖLL, Benedictinus in Monasterio S. Petri Salisburgi Professor, & p. t. Prior, SS. Theologiæ Doctor, Celsiss. ac Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, Controversiarum Fidei Professor Ordinarius.

AP.

APPROBATIO

Facultatis Juridicæ Salisburgensis.

Uæcunque artefacta non tantum ex eo æstimantur, quod à præstanti artifice sint elaborata, sed etiam, quod mira quadam pulchritudine, & rarâ in omnibus cohærentiâ hominum oculos, animosque ad se trahant. Præsens Jurisprudentia Canonico-Civilis, nobis oblata, & ab omnibus perlecta, oculos animosque nostros ad se traxit: opus enim Magnificum est, sive ipsum Auctorem quis respiciat, sive operis ipsius concinnam structuram. Auctor est Magnificus Universitatis nostræ Rector, cujus fama non tantum Urbi nota, sed per plurimas theses publicas per Orbem litterarium jam antè divulgata. Structuram viderelicet concinnam, utpote quæ mira, & innata Magnifico D. Auctori claritate, argumentorum, & rationum soliditate, & pulcherrima methodo elaborata firmissima compage cohæret. Dignissimam ergo esse, uno ore, & calamo judicamus, quæ in lucem publicam prodeat, Magnifici D. Auctoris perpetuo honori, Universitatis, & Facultatis nostræ ornamento, omniumque, ad quos devenerit, utilitati deservitura. Ita censent Salisburgi 19. Julii 1716.

JOSEPHUS ADAMUS AYBLINGER, Jurium Doctor, Celsiss. & Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburg. Consiliarius, in Universitate ibidem Instit. Professor Ordinarius, & Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.

FRANCISCUS IGNATIUS DE WOLLEREN, Nobilis in Wollersfeld, Jctus, & S. R. I. Eques, S. C. M. Excelli Regiminis Superioris Austriæ, nec non Celsiss. & Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episc. Salisburg. Aulicus, & intimus Consiliarius, Juris Publici, & Codicis Prof. Ordinarius.

P. BENEDICTUS SCHMIER, Ordinis S. Benedicti, ex Libero Exempto-Imperiali Monasterio Otoburano, SS. Theologiæ, & Juris Utriusque Doctor, ac SS. Canoniz. Professor Ordinarius.

JOSEPHUS BONAVENTURA FRANZ, Jurium Doctor, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis & Archi-Episcopi Salisburg. &c. &c. Consiliarius, Pandectarum Professor Ordinarius.

AD

AD LECTOREM.



Quod olim Magnus Hypponenſium Præful, Charitatis in DEUM
& proximam studioſiſſimus, ad comprimendam obretractorum au-
daciam ſeu dixiſſe ſeu ſcripiſſe fertur:

*Quisquis amat dictis alienam rodere famam,
Hanc menſam veſitam noverit eſſe ſibi:*

Hoc ipſum ego, ut Jurisprudentiam meam à licentioſa eorum, in quorum manus in-
ciderit, criſi liberarem, conſimili ſerè metrò ſtaticim in limine ſeu dictum ſeu ſcriptum
percuferem:

*Quisquis amat dictis alienos carpere libros,
Hunc librum veſitum noverit eſſe ſibi.*

At quia jam publici juris eſt facta, omniumque judicio expoſita; adverſus Zoilos & Ari-
ſtarchos poſſum equidem proteſtari; ſed prohibere cum effectu non poſſum, ne Theo-
nonò dente radant & rodant; Catonianà virgà cenſeant & cenſurent.

Ne tamen aut ſiniſtra quorundam ſenſa non prævidiſſe; aut ſine conſilio meæ Ju-
riſprudentiæ de ea, quæ comparet in publico, forma & figura providiſſe videar, Lectorem
quemlibet, cujuſcunque ſit mentis, nonnulla præmonere, conſultum judicavi. Præpri-
mis verò, ſi cupiam titulus in fronte diſpliceat, quòd Jurisprudentia mea *Canonico-
Civilis* appelletur, quaſi nempe haud deceat, SS. Canonibus conſuſa Legum placita ad-
miſceri; vel tanta ſit unius Juris ab altero diſcrepancia, ut utrumque nequeat in unam
redigi harmoniam: meminiſſe juvabit, ad ſolidam Canonice Diſciplinæ peritiam vix
unum eluctari, qui Diſciplinæ Civilis auxiliari manu deſtituitur; ut nec ille perfectà
Legum ſcientià potiatur, qui SS. Canonum inſtituta neglexit. Ea ſiquidem eſt gemini
Juris connexio & vicinitas, ut, ubi deficit unum, per alterum ſuppleatur: & ſi caligent
Leges, Canones faciem præferant; ſin decreta Pontificum ſileant, Principum conſtitu-
tionibus adjuventur, ex decantato *cap. 1. & 2. de N. O. N.* Num verò reipſà præſti-
terim, ac juxta propoſitum Jus unum cum altero, quantum licebat, concordaverim?
Totus Jurisprudentiæ, tres in tomos diſtributa, contextus veritatem edocebit; ingenti
quippe conatu non tantùm univerſalia Jurisprudentiæ, quæ ſacra quæ profana; fundamen-
ta ſtatim in *tom. 1. tract. præamb. & tract. de Jure Legali*, jacere, ſed etiam totius operis
ſtructuram illis inædificare, ſententias ſententiis velut lateres conglutinare, & Civilis
Canonis velut parietes conjungere ſtudi; ſubjunctâ in calce tomi tertii ſynoptica
ſerie & repertorio, ex quo titulos omnes, quotquot in ſuccinctis Juſtiniani Inſtitutis, &
in latiffimis Pandectarum libris inveniuntur, duobùs ſaltem verbis relatos aut explicatos
fuiſſe, curioſus inveſtigatior experietur.

Adhæc non paucis ſtomachum movebit, quòd paululum à via regia declinaverim,
nec, ut alii SS. Canonum Interpretes aſſolent, ordinem titulorum, quem Libri Decre-
talium obſervant, fuerim ſecutus. Sed medicina non deest. Præterquam enim,
quòd non ſolùm celebres Juris Pontificii expoſitores idipſum abſque reprehentione fe-
cerint, ut imitari non pigeat, quòd celebrare delectat; ſed etiam in principio cujuſlibet
tomi ſeries & repertorium titulorum, prout in Decretalibus extant, pro memoria &
ſyſtemate formando præfixum habeatur: ejus ſemper animi fui, Jurisprudentiam no-
ſtram, cum adeò diſfuſa ſit, nonnihil conſtringendam; cùmque difficultatem maximam
faceſcit memoriæ, rerumque multitudine vix non eandem opprimat, accuratiori me-
thodò levandam & tradendam eſſe. Jam verò methodum, quam aſſumpſi, faciliorem
& accuratorem eſſe, quàm illa, quæ tenetur in Corpore Juris, neſcio, an aliquis negare
poſſit: quandoquidem materiæ, alioquin diſperſæ, nunc congregatæ; genera cum ſpecie-
bus, & ſpecies cum generibus ita conjuncta ſunt, ut unâ nunc die quis addiſcere valeat,
quod

quod antehac intra ſeptimanam fortè non didiciſſet. Proindeque, ſicuti viator quis-
que non vituperiò ſed laude dignus eſt, quòd ſemitam elegerit breviorẽ, ut citius ar-
tingat terminum; ita vituperium haud extimeſcam, quòd, dum Ars Juris longa & vitæ
brevis eſt, Juris amatores non per anfractus & ambages, ſed compendioſum & ordina-
tatum iter ad Veritatis & Juſtitiæ metam deduxerim.

Præterea ridebit fortaiſis & ſubſannabit nonnemo, dum Jurisprudentiam meam &
theoriæ & praxi accommodam pronuncio. Verùm & ego rideo, vel potiùs ſuccenſeo,
tot hodie numerari præcticos, qui libros & elucubrations Profefſorum non ſoro ſed ſcho-
læ duntaxat appoſitos; neque ad panem lucrandum aut lucellum capiendum, ſed ſa-
mam aut fumum tantummodò captandum natos eſſe, dicere non erubefcant; contra
quos paucis abhinc annis in oratione quadam inaugurali peroravi, illud problema diſ-
ſcutiendò: plùsne credendum ſit Authori legenti ſeu docenti, quàm conſulenti? Ego
certè, cùm Jurisprudentiam noſtram opiner eſſe præcticam, qualemcunque doctrinam
meam tum in Cathedra publica, tum in exercitationibus privatis, Jurium Auditoribus
ſemper ita proponere & communicare fui conatus, ut non præciſè doceant in abſtracto, ſed
obveniente occasione theſin ad hypotheſin redigere; generalia principia ad caſus particu-
lares applicare; &, pro varietate circumſtantiarum, ampliare vel reſtringere ſciant.
Quemve tunc modum habui, eundem tum in meis tractatibus, luci & diſputationi
publicæ commiſſis, tum in univerſo nunc Opere Canonico-Civili proſequor; admixcens
perſæpe locorum conſuetudines & ſtatuta; adjungens nonnumquam reſponſa & conſilia
præctica, quæ ad requiſitionem partium aut ipſorummet Dicasteriorum, vel à me, vel à
Facultate noſtra Juridica, vel ab aliis concinnata, atque ſententiâ, conformiter iſdem
latâ, non rarò ſuere confirmata.

Demum (ut plura, quæ liberioris ſæculi genius caſtigare novit, omittam) Authores,
quorum vel doctrinâ meum opus inſtruxi; vel authoritate meas aſſertiones firmavi, non
omnibus placere, audio: ſunt enim perſæpe recentiores & novi, quos antiquis poſt-
ponendos eſſe, tam ipſamet antiquitatis majestas, quàm Prototypum Juris veneratio
perſuadere videntur. Sed, quid respondeam, in promptu habeo. Stabilio quidem Au-
thorum recenſitione mea ſcripta, ſed paginas non impleo, niſi fortaiſis in uno vel altero
caſu plurius nomina caſſe, ſit idem, ac oracla fuſiſſe. Refero ſimul & ſequor Au-
thores novos; ſed antiquis quoque reverentiam & venerationem tribuo. Profero cum
ſcriba Evangelico *nova & vetera*: cùm, ut Oratorum aliqui edidiſſent, creverint ſæcula,
cum ſæculis ingenia, cum ingeniis mores, cum moribus Leges, cum Legibus Doctores;
&, ut alicubi ſcriptum reliquit ingenioſus Caramuel, in Neotericis & ea, quæ veteres
elucubrârunt; &, quæ veterum monumentis erant incognita, cum ſenore dilucidata
reperiuntur.

Cæterùm per cauſas ſeu methodum ſcientificam ita progredior, ut neque ſuperflua
congeram; neque neceſſaria præteream. Sententias eligo tales, quales principiis, à me
propoſitis & ſuppoſitis, propinquiores inveni; libertatem ſentienti cuilibet meliùs ſen-
tienti relinquens. Scribo in nullius odium aut favorem, nec pretiò conductus, nec præ-
cibus commotus; ſed unicè Veritatem & Juſtitiã pro cynolura pono, non immemor
illius, quod P. Balde cecinit in ſuis *Lyricis*:

Quò pondus urget, nudaque veritas;

Examinatis cauſa bilanſibus

Pendens feratur. Tum quieſcat

Triste forum, pelagusque tuncum.

Non in crumena Caſaris latens

Arcana Juris; dignius nili

Præſens honeſtum; mentis arcem

Non loculos habitant rapaces.

Minùs adverſus S. Matrem Eccleſiam, Supremum Chriſti in terris Vicarium, dogmata
fidei, vel morum honeſtatem ſtringo calamm; quin potiùs Eccleſiæ & Sacræ Sedis
Pontificiæ judicio omnes apices humillimè ſubmitto. Lege, benigne Lector, eâ
intentione, quâ ſcripi; ſavebis, valebis.

SERIES ET REPERTORIUM TITULORUM
LIBRI I. DECRETALIU

- T**it. I. - De Summa Trinitate, & Fide Catholica. Præloq. tract. 1.
 Tit. II. - De Constitutionibus. d. tract. 1. per tot.
 Tit. III. - De Rescriptis. d. tract. 1. cap. 8.
 Tit. IV. - De Consuetudine. d. tract. cap. 9.
 Tit. V. - De Postulatione Prelatorum. tract. 3. cap. 2.
 Tit. VI. - De Electione, & Electi Potestate. d. tr. 3. cap. 1.
 Tit. VII. - De Translatione Episcopi. d. tract. 3. cap. 3.
 Tit. VIII. - De Autoritate, & Usu Pallii. d. tract. 3. cap. 1. à n. 574.
 Tit. IX. - De Renuntiatione. d. tract. 3. cap. 6.
 Tit. X. - De Supplenda negligentia Prelatorum. tr. 5. cap. 4. à n. 96.
 Tit. XI. - De Temporibus Ordinationum, & qualitate ordinandorum. tract. 4.
 Tit. XII. - De Scrutinio in ordine faciendis. d. tr. cap. 4. à n. 23. (per tot.)
 Tit. XIII. - De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab Excommunicato. d. tr. cap. 2. à n. 12. item à n. 44.
 Tit. XIV. - De Aetate, & Qualitate, & Ordine prescipientium. tr. 3. cap. 1. à n. 178. item lib. 3. tr. 1. p. 1. cap. 2. à n. 13.
 Tit. XV. - De Sacra Unctione. d. tr. 4. cap. 3. à n. 171. item à n. 185.
 Tit. XVI. - De Sacramentis non iterandis. d. tr. 4. cap. 5. à n. 4. item lib. 3. tr. 1. p. 2. cap. 1. sect. 2.
 Tit. XVII. - De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non. d. tr. 4. cap. 6. sect. 1.
 Tit. XVIII. - De Sacerdotibus non ordinandis, & eorum manumissione. d. cap. 6. sect. 6.
 Tit. XIX. - De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. d. cap. sect. 7.
 Tit. XX. - De Corpore vitiatu ordinandis, vel non. d. cap. sect. 3.
 Tit. XXI. - De Bigamis non ordinandis. d. cap. 6. sect. 2.
 Tit. XXII. - De Clericis peregrinis. lib. 3. tr. 1. p. 1. cap. 1. n. 126.
 Tit. XXIII. - De Officio Archi-Diaconi. tr. 5. cap. 6. à n. 78.
 Tit. XXIV. - De Officio Archi-Presbyteri. d. tr. & cap. à n. 86.
 Tit. XXV. - De Officio Primicerii. d. cap. à n. 92.
 Tit. XXVI. - De Officio Sacriste. d. cap. à n. 92.
 Tit. XXVII. - De Officio Custodis. d. cap. à n. 97.
 Tit. XXVIII. - De Officio Vicarii. d. cap. à n. 36.
 Tit. XXIX. - De Officio & Potestate Judicis Delegati. d. cap. 7. per tot.
 Tit. XXX. - De Officio Legati. d. tract. cap. 4. à n. 41.
 Tit. XXXI. - De Officio Judicis Ordinarii. d. tract. cap. 6. per tot.
 Tit. XXXII. - De Officio Judicis. lib. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 1.
 Tit. XXXIII. - De Majoritate & Obediencia. lib. 1. tr. 5. cap. 2. 3. 4. 5. per tot.
 Tit. XXXIV. - De Treuga & Pace. tract. 1. cap. 4. à n. 111.
 Tit. XXXV. - De Pactis. lib. 3. tract. 3. cap. 1. per tot.
 Tit. XXXVI. - De Transactionibus. d. tract. 3. cap. 7. sect. 1.
 Tit. XXXVII. - De Postulando. lib. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 3.
 Tit. XXXVIII. - De Procuratoribus. d. cap. 2. sect. 4.
 Tit. XXXIX. - De Syndico. d. cap. 2. sect. 5.
 Tit. XL. - De His, quæ v. mutuove causâ fiunt. lib. 3. tr. 3. cap. 1. à n. 344.
 Tit. XLI. - De in integrum Restitutione. d. cap. 1. à n. 452.
 Tit. XLII. - De alienatione Judicii mutandi causâ factâ. lib. 5. tr. 3. cap. 1. à n. 148.
 Tit. XLIII. - De Arbitris. lib. 2. tr. 1. cap. ult.

TRAC-

TRACTATUS PRÆAMBULUS
DE
JURISPRUDENTIA
CANONICO-CIVILI.

Nulla in orbe literario Facultas est, quæ, priusquam ad arcanos recessus & intima penetralia concedat accessum, in vestibulo suos aut cultores aut alumnos paulisper non detineat, ut, tanquam hospites & peregrini præambulo quodam discursu de natura, indole, & prærogativis illius Facultatis edoceantur. Quem morem Jurisprudentia mea Canonico-Civilis ad modum & mentem Jcti Caij in *l. facturus i. ff. de O. J.* imitata, Lectores suos, antequam ad intimiora penetrent adita, parumper in limine detinet, quatenus illius habitum, genium, & dotes addiscant. Sit igitur

CAPUT I.

De Natura Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

Jurisprudentia neque tam singularis est, ut in quibusdam prædicatis cum aliis habitibus non communicet; neque tam vulgaris est, ut speciales sibi titulos non vindicet. Itaque naturam Jurisprudentiam rimaturi, tam ea, quæ communia, quam illa, quæ sibi propria facit, discutiemus.

SECTIO I.

De Jurisprudentia in genere.

SUMMARIA.

1. & 2. Descriptio Jurisprudentia quoad vocem & rem. 3. & seqq. Decetur, & demonstratur, Jurisprudentiam esse scientiam. 8. & 9. Afferitur, & probatur, Jurisprudentiam recte compellari nomen. 10. & seqq. Concluditur, & ostenditur, Jurisprudentiam neque intelligentiam neque sapientiam esse. 13. Jurisprudentia est practica. 14. Est una & completa scientia. 15.

Est nulli alteri subalternata. 16. Est naturalis habitus. 17. Describitur Jurisprudentia Naturalis. 18. Describitur Positiva. 19. Divina. 20. Et Humana. 21. & seqq. Distinguitur de concursu Jurisprudentia Naturalis & Positiva declaratur. 24. & seqq. Exponitur Jurisprudentia theoretica & Practica. 28. & seqq. Referuntur, & referuntur alia species.

§. I.

Quid sit Jurisprudentia?

Jurisprudentiam esse vocabulum, compositum ex *Jure* & *prudentia*, constat ex nomine. Et quia Jus quoad præsentem acceptio-

nem nihil aliud est, quam Lex aut regula justæ operationis; prudentia verò est habitus cum recta ratione activus; consequitur, Ju-